

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-tertiâ Junii.

M. PETRO YON, Doctore Medico, Præside.

An fructuum esus, salubrius Panis condimentum, sarcophagiâ?

I.



LIMENTUM rectè dicitur, quidquid in corporis nostri substantiam convertitur, aut converti potest, familiaritate substantiæ, proportione convenienti, & similitudine. Inter has tres dotes (quæ ratione, experientiâ, sensibus ac potissimùm gustu deteguntur) prima proprium & unicuique conveniens alimentum (eidem homini non semper idem) constituit simul & indicat, movendo appetitum; qui, nisi aliquâ de causâ vitietur, semper fertur ad id quod consociale est corpori. Ulteriorem, apertam magis & indubitatam hujus convenientiæ notitiam qui conantur assequi mechanicis aut chymicis exemplis, non minùs ludunt operam otioque suo abutuntur, in alia, præsertim à Medicis, conferendo, quàm

theologi in perquirendo ſpeciem ligni vitæ & agnitionis boni & mali; nullumque alium laboris ſui fructum percipiunt, quàm vanam novitatum gloriam, & contentionis adversùs veteres dé nominibus ac minimè de rebus oſtentationem: quâ populi Medici, *Qui* [a] *uniùs deberet eſſe labii & ſermonum eorundem, ità confunditur lingua ut vix quiſque audiat vocem proximi ſui.* Unde metuendum, ne in diverſas iatricas gentes, à verâ Medicinâ planè devias, dividatur, tædio priſcarum loquendi formularum, aut ſaltem neglectis, neque excultis antiquorum monimentis. Proportio (quæ in quantitate, conſiſtentiâ ſeu ſubſtantiæ modo, & temperie conſiſtit) requiritur ad omnimodam alimenti immutationem, huicque neceſſarias prævias præparationes, alterationes, & coctiones. Similitudo, in alimento nutrituro tàm interno hoc eſt chylo, quàm externo, eſt tantùm aptitudo ad induendam cum partibus ſimilitudinem, rudimentum ſimilitudinis in alimento quaſi nutriente ſeu ſanguine, vera & actualis in alimento actu nutriente ſeu Cambio: cui propriè magis & legitimô jure alimenti nomen tribuitur. Triplex illa ſimilitudinis ratio ità non eſt intelligenda, ut nihil ſit in triplici illo alimento ineptum alendo corpori, nec diſſimile, nec contrarium. Alimentorum nullum eſt, quod de naturâ medicamenti non participet: non pauca, veneni aliquid continent: omnia, excrementi plurimum habent. Quam obrem ſimpliciſſimum ne quæras cibum, ſed ſimpliciorem, qui naturæ corporis congruat. Huic comites ſi adjungas, cave, ne præcipuo noceant alenti, corpuſque lædant: ſed diverſis, quibus conſtabunt ſubſtantiis, ſuiſque virtutibus, corpori prodeſſe, omneſque laudabilis nutricatûs ſcopos adimplere valeant.

[a] Geneſ. c. 10.

II.

ALIMENTUM, eſt quid relativum. Quod enim uni alimentum eſt, alteri non eſt; ut patet exemplo Cicutæ & Ellebori. Hic, coturnici alimentum, homini medicamentum. Illa, hominibus & anſeribus venenum, ſturnis nutrimentum. Hominum excrementa, ſuibus in alimoniam cedunt. Ruſticulæ interanea non repurgata, ſuavis hominibus eſca. Idem, alimentum eſt eidem & medicamentum, ut lactuca, quæ non tantùm ventriculi & ſanguinis intemperiem calidam emendat ſitimque ſedat; verùm & in ſanguinem mutata, caloris nativi partiumque ſubſtantiam auget. Idem, venenum eidem eſt

& pabulum, ut Juccæ indicæ radix, cujus ſuccus deleteriâ qualitate hominis corpus corrumpit, pars craſſa & terreſtris in pollinem tenuiſſimum redacta panis alimentarii conveniens eſt materia. Multiplicis iſtius diſcriminis cauſas, non aliundè repetas, quàm ex convenientiâ, diſſimilitudine, vel contrarietate. Duas poſtremas, ſingularis, oblati aut præſentis, ἀποσιτία naturalis declarat. Familiaritatem, indicat inſitus cuique appetitus, quem excitat ſenſus τῆς κενώσεως in ſingulis partibus, peculiariſque in ſtomacho affectionis conſectarius: quique ſenſibus externis, velut exploratoribus, utitur: ità tamèn, ut à tactu in oris partibus imprimiſque guſtu pendeat judicium de affinitate, diſconvenientiâ & diſſidio; nullatenùs ab auditu; vixque ab odoratu & viſu. At hi tres ſenſus, & inter ipſos olfactus, non parum conferunt, ut dignoſcatur ingerendorum bonitas aut vitium; cujus cognitionis præcipua laus debetur guſtui. Quæ qualitatibus manifeſtis ſeſe non produnt, ratione & experientiâ ſunt retegenda. Id aliquandò tardiùs hæc præſtat, quàm par eſſet. Proportionis in alimento cum corpore noſtro neceſſitas, colligitur ex præparationibus, coctionibus, & immutationibus, quæ illi ſubeundæ ſunt, antequàm in partium ſubſtantiam faceſſat. Majori ſiquidèm copiâ, calorem obrueret; minimâ ſui mole, dentium actionem effugeret; duriſſimum, eorundem conatus eluderet; aſperum & ſuâ ſuperficie inæquale, membranam oris partes inveſtientem graviter læderet; lentum nimìs tàm humidum, quàm ſolidum, regereretur integrum per ſeceſſum; nimio urens calore, vel alio primarum qualitatum intenſiore exceſſu calorem nativum vincens, aut partibus jàm inuſtam intemperiem augens, noxam inferret corpori. Commemorati & cæteri analogiæ alimentorum affectus, ſenſibus, ac præſertìm guſtu & tactu, deprehenduntur. Similitudo, non niſi à poſteriori, ſeu reſtauratâ, necnon auctâ corporis mole naturali, cognoſcitur.

III.

NEMO, niſi ſacrarum paginarum ignarus, neſcit, primo parenti paradiſi terreſtris colono ſola [b] arborum fructuoſa data in eſcam; eidemque, propter funeſtum ſeducti liberi arbitrii uſum, *Redhibito* [c] *materiæ ſuæ & in ergaſtulum terræ laborandæ relegato*, præſcripta victûs fulcimenta [d] herbas & panem. Non repugnat credere, fructuum eſum haud interdictum. At

[b] Geneſ. c. 2.
[c] Tertull. adverſùs marcionem l. 2.
[d] Geneſ. c. 3.

[e] Ib. c. 9. constat, nonnisi [e] secundæ post diluvium geniture, jam decedenti diuturnitate & felicitate vitæ, quæ sæculorum decursu magìs ac magìs contrahitur & deteritur, concessum vesci carnibus animalium : quæ hominis imperio & dominio ex primâ institutione mancipata fuerant, ejusque usibus & commodis addicta. Illas Deus supermensus est, tanquam olera virentia, propter infirmitatem carnis humanæ & duritiam cordis, necnon puniendæ simul gulæ & exercendæ continentiæ causâ, non ex naturâ proprietatis, neque ex necessitate corporalis conditionis.
[f] Ib. c. 2. Absunt quippè longiùs à substantiâ corporis, *quod de limo* [f] *figulatum, utriusque* [g] *originem elementi, confitetur, aquam, sanguine qui est rubens humor ; & terram, carne, ossibus & cæteris partibus, quæ nihil aliud sunt, quàm in figuras suas conversa terra.* Ex hâc igitur congrua magis & εὐπεψόσφυτα depromuntur vitæ præsidia. Eduliorum omnium præstantissimum maximèque familiare, panis; ad quem naturæ in hominibus, cum sui compos est, esurientis præco appetentia dirigitur; quô benè valentium nemo carere potest; omnibus suavis; qui definit ipsiûsmet temperantiæ modum, neque patitur nimiâ ingurgitatione repleri ventriculum; citrà quem nullum aliud, absque valetudinis incommodo, esitari potest; quem ab omni cibario quicumque sanus siccaret, inculpatam servaret, quæ ciborum varietate plurimùm labefactatur, sanitatem. Attamèn cùm multis mutationibus corpus sit obnoxium, & uniûs semper ejusdemque alimoniæ tædio langueat stomachus, recreandus cibis panis comitibus intermansis, quibus eâdem fideliâ corrigantur, aut demantur, quæ naturæ in corpore minùs sunt consentanea. Caro cibus est, vel etiam sanis, anceps. Non paucos humores excrementitios, nulliûs usûs, morborum parentes, & nonnisi ægrè eluendos, suggerit; & quantùm alibilis substantiæ (quæ non ità laudabilis nec εὐπέπτη nec εὐανάδοτος) subministrat, tantùm innuit subtrahendum copiæ panis, aptissimi, præ omnibus, alimenti, cunctisque integrâ valetudine fruentibus necessarii. Fructus pani inter edendum si commiscueris, non modò, suavitate quam participant gratiosi humoris & odoris, appetitum, masticationem & deglutitionem juvabunt; sed & τῇ εὐχυλίᾳ non parùm conferent ad chyli distributionem, & viscerum nutritiorum nitorem : quorum, ac præsertìm ventriculi & sanguinis intemperiem emendabunt. Ex ipsis

[g] Tertull. l. de carne Christi.

quoque conficiuntur quamplurima potuum genera, non minùs grata, quàm utilia diætæ ſicut & pharmaciæ adjumenta & inſtrumenta.

IV.

OMNIS homo, ſemper ægrotat. Sanus vulgò nuncupatur, in quo manifeſta non percipitur, nec obſcura, functionum læſio; licet partium & humorum temperies aliquatenùs à naturali receſſerit, atque horum commoderatio, & ad ſe invicèm omnimoda non ſit proportio & commiſtio, nec ſatìs liber commeatus. His primis ſaltèm morborum rudimentis, tantùm abeſt, ut medeatur ſarcophagia, imò præbet incrementum. Carnium ſiquidèm triplex genus diſtinguitur. Primum, partium, quæ trunculorum, & omaſorum appellationibus comprehenduntur: difficillimæ coctionis, pauciſſimi alimenti, & craſſæ ac lentæ ſubſtantiæ. Secundum, parenchymatum, glandularum & interaneorum: craſſi ſucci, coctu difficilis, tardè permeantis, & maximè excrementitii. Tertium, carnis muſculoſæ; de cujus bonitate vix conſtare poteſt: quod pendeat ab innumeris cauſis, animalium genere, ſpecie, ætate, victûs ratione, habitu corporis, veneris œſtrô, prægnatione, parturitione, inſtitutis, partium diſcrimine. Eadem Caro facilè & quidèm omninò demutatur, tempore mactationis, coctionis & parandi modô, ferè ſemper dubiô & inæquali, ut plurimùm adulterante & corrumpente, in quô difficile eſt non peccare; neceſſariô tamèn, cùm cruda caro non veniat in uſum hominis. Cujuſcunque ſit dotis & conditionis, niſi maximâ toſtionis ariditate fiat exſucca, facilis non eſt attritu. Vel enim dura eſt & ſiccitate τανυςῶα; vel laxior, mucoſa, lenta & viſcida: quæ medio in his qualitatibus modo ſe habet, nec friabilis eſt, nec διαλυτὴ, ut potè nervorum tenacibus connexibus implexa, venarum & arteriarum ramoſis diſcurſibus implicita, fibris ſibi invicem arctiùs cohærentibus intexta. Hinc omne carnium genus (etiam intritorum & inſiciorum) cùm imperfectè ſubigatur in ore, difficiliùs in ventriculo coquitur, diſtributioni dicatas partes ægriùs ſubit, nec ſatìs celeriter permeat, ſanguinis anadoſim moratur, infarctus parit, putredine flammam facilè concipit. Quidni & morborum, non paucis animalium ſpeciebus familiarium, vel congeneris indolis, tradux exiſtimetur. Edulium fructuum conditio, ſenſibus eſt obvia & cognitu facilis; arte

non indigent, ut in eſcam admittantur; dentibus & ore vel minimô negotiô finduntur, inciduntur, accuratè comminuuntur, facilè teruntur, diluuntur, ſalivâ undiquâque perfunduntur, & commiſcentur pani: cujus in ore præparationem, tùm deglutitionem, & ex utrôque alimenti genere conflati chyli diſtributionem, promovent: humorum, & partium, quibus excipiuntur, intemperiem, caſtigant: atque in imo ventre collectam, vel etiàm contumaciùs hærentem illuviem, partìm per urinas derivant, partìm, alvum ſubducendo, per ſeceſſum deturbant & everrunt. Contrarios evacuationi effectus producunt, nonnulli propriâ facultate, quamplurimi prò maturationis gradu, exſiccationis, cocturæ & condituræ ratione, quæ facilis, nec operosâ luxuriâ fructus corrumpit: quibus contrà id commodi adfert, ut in diuturnum tempus incorrupti aſſerventur, adeò ut qui uniûs duntaxat anni tempeſtatis proprii ſunt, omnibus communes evadant.

V.

PANE [h] manè pluente, diariô viaticô, in craſtinam diem, niſi ſextâ, citrà corruptelam non colligendô, ſaturabantur peregrinantes iſraelitæ. Coturnices ſerò tantùm aſcendentes comedebant. [i] *Carnis deìn avidiſſimi*, murmuris pœnâ plexi, *uſquè ad choleram illas ortygometras cruditando*, ſepulti [k] ſunt in loco ſepulchra concupiſcentiæ nominatô. Natura ſui authoris, quô ubique gubernatur imitatrix, ejuſque virtute provida ſimul & prudens, panis, cujus eadem quovis anni tempore laus eſſe poteſt, materiam ſemper ſufficit; non itèm carnes, quarum plurimæ quibuſdam tempeſtatibus deſiderantur, aut inſulſæ à menſis abdicantur, & quæ omni tempore apponuntur, pro ejus diverſitate, variant in bonitate. Fructus ſuppeditat congruos ſingulis corporis conſtitutionibus, quas inſignes aëris à motu ſolis & aliorum ſyderum ortu & occaſu mutationes invehunt. Ab æquinoctiô vernô, ad nonas maii, quoniàm congeſti hyeme ſucci liquantur, attenuantur & coquuntur aëris temperati beneficiô, (undè minùs alimenti ingerendum, ideóque nec multiplici, quod ejus deſiderium moveat, opus eſt auxilio) nulli prodeunt, nullique matureſcunt fructus: ſed pauciores ſuppetunt qui per hyemem maturuerunt. Ab humoribus fuſis cùm plurima excrementa ſuccreſcant, jàmque calor vires intenſiores acquirat, menſe majô in ſubſidium veniunt fraga & ceraſa

[h] Exod. c. 16.
[i] Tertull. l. de jejuniis.
[k] Numer. c. 11.

quæ aquosô humore, quô plurimô luxuriant, corporis noſtrî ſeceſſus facilè ſubeunt, per urinas excernuntur, alvum movent, ventriculi & humorum æſtum frigiditate mitigant & aliquâ aciditate putredini obſiſtunt. Hâc tatione nitentibus viſceribus ſuccurrunt paulò poſt adjuncti aut ſuccedanei coeteri fructus horarii; quorum infinitæ ſpecies diſſimilis conſiſtentiâ ſucci, quô vel laxant ventrem vel cohibent; & refrigerante humiditate magis aut minùs abundantes, humorum ab æſtivâ temperie fervorem & partium ſqualorem temperant & arcent; languentem eâ tempeſtate appetitum excitant odoris & ſaporis jucunditate, nec ventriculo, quia coctu faciles, noxam adferunt. Autumnus inæqualis ſuos fert fructus conſimiles temperamenti & ſubſtantiæ atque effectuum anomaliâ. Hyeme, quâ ventres calidiores ſunt, craſſioris ſubſtantiæ, pinguis ſucci & butyroſæ carnis, ideóque minori ad coctionem ſuſcipiendam facilitate, aucto ventriculi calori magis analogi fructus reconduntur & ad maturitatem perveniunt. Hos inter nonnulli per annum integrum ſine ullâ arte ſed propriâ ſponte durant.

Ergo fructuum eſus, ſalubrius Panis condimentum, ſarcophagiâ.

Proponebat Pariſiis GILBERTUS PUYLON, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.